

2 Ut sit præcognitum, & quid nomen significet, & quòd sit: non autem quid sit: quia definitio essentialis è propriis rei principiis declaratur.

3 Ut affectiones proprias habeat, propriaq; accidentia.

4 Ut unum sit, unitate collectionis & universalitatis. *1. post. t. 179. Zabar. citato l. c. 2.* Nam ab hac unitate subjecti tota scientiæ unitas pendet.

5 Ut ejus consideratio nulla alia sit, quàm prout his omnibus tanquam basis & fundamentum substernitur, sed non ut alteri inhæret.

6 Ut duas partes habeat: unam, quæ materiæ locum tenet, & dicitur res considerata; alteram, quæ loco formæ est, & vocatur modus considerandi. Hæc autem præcipua pars est. Ab hâc enim ipsa scientia constituitur & pendet. Nam res considerata potest esse huic scientiæ cum aliis communis: at modus considerationis cujusq; scientiæ est proprius.

Subjecti  
duæ sunt  
partes: vi-  
del. materi-  
ale & for-  
male,

*Affectiones præcognoscuntur secundum tres suas conditiones: quarum*

Affectio-  
num tres  
sunt condi-  
tiones.

1 Est, ut affectio consideretur, tanquam inhærens subjecto.

2 Ut consideretur, tanquam per se & essentialiter inhærens, & naturam atque essentiam propriam illius subjecti consequens.

3 Ut prænoscat, quid nomen ejus significet.

*Principia præcognoscuntur hoc modo:*

b v

Principia  
quæ præco-  
gnoscenda  
sint?